

tates: idemque et volatus alitum sustinet, et spiritu ductus alit et sustentat animantes.

Cap. XL. Restat ultimus et a domiciliis nostris altissimus, omnia cingens et coercens coeli complexus, qui idem aether vocatur, extrema ora et determinatio mundi: in quo, cum admirabilitate maxima, igneae formae cursus ordinatos definiunt. E quibus sol, cujus magnitudine multis partibus terra superatur, circum eam ipsam volvitur. Isque oriens et occidens diem noctemque conficit; et modo accedens, tum autem recedens, binas in singulis annis reversiones ab extremo contrarias facit: quarum intervallo tum quasi tristitia quadam contrahit terram, tum vicissim laetificat, ut cum coelo hilarata videatur. Luna autem, quae est, ut ostendunt mathematici, major, quam dimidia pars terrae, iisdem spatiis vagatur, quibus sol; sed tum congregiendi cum sole, tum digrediendi, et eam lucem, quam a sole accepit, mittit in terras, et varias ipsa mutationes lucis habet: atque etiam tum subjecta atque opposita soli, radios ejus et lumen obscurat, tum ipsa incidens in umbram terrae, quum est e regione solis, interposito interjectuque terrae, repente deficit. Iisdemque spatiis hae stellae, quas vagas dicimus, circum terram feruntur, eodemque modo oriuntur et occidunt: quarum motus tum incitantur, tum retardantur, saepe etiam insistunt. Quo spectaculo nihil potest admirabilius esse, nihil pulchrius. Sequitur stellarum inerrantium maxima multitudo: quarum ita descripta distinctio est, ut ex notarum figurarum similitudine nomina invenerint.

Cap. XLI. Atque hoc loco me intuens, Utar, inquit, carminibus Arati, eis, quae a te admodum adolescentulo conversa, ita me delectant, quia Latina sunt, ut multa ex his memoria teneam. Ergo, ut oculis assidue sine ulla mutatione aut varietate

Cetera labuntur celeri coelestia motu,

Cum coeloque simul, noctesque diesque feruntur,